Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1475
Quelle:
Copyright:

Martini V. de eodem Festo. 3) *Eugenii* IV. de eodem. 4) *Bonifacii* IX. de Festo visitationis B. V. M. fine mulctata. Habentur omnes in *Car. Cocquelinii Bullario. Foll.* 4.

VII. *Johannis Pistorii Marchionum Badens. Consiliarii Responsum ad literas Joh. Jac. Grynaei Theologi Basil.* Notum est, Virum illum doctissimum ad Ecclesiam Cath. Romanam rediisse, a qua Pater ejus pariter *Johannes* dictus defecerat. Literarum *Grynaei* argumentum optime colligitur ex iis, quae Noster mox ab ingressu Responsi sui memorat: *Putas Tu, si ea, quae a paucis annis male affecta sunt, curentur, et Ecclesiae Marchionicae consentiant cum tuis, magnam accessionem factam esse ad Christi gloriam, et illud ut fiat, judicas et meos et aliorum nervos oportere contendi. Laudo, Vir clarissime! quod jubes, neque magnis stimulis opus est ad me excitandum, qui Dei singulari benignitate jam antea sic animatus sum, ut vim universam diligentiae, industriaeque meae convertere ad illustrandam Christi gloriam cupiam, et ad ponendum mei in ejus vinea laboris vestigium. Sed ne erremus, ne, dum Ecclesiae vulnera obligare volumus, vulneremus magis, ne haereses sanemus, cum sanare Ecclesiam constituimus, convenire primum inter nos de Ecclesia debet: quaenam, et ubi sit. Alioquin, nec Tu recte fortassis jussisti, nec ego recte morem geram.* Hic igitur Rhodus, hic saltus. Hic lucido rationum una ex altera fluentium ordine, et dialectico inter se nexu contendit *Pistorius*: Coetum *Cinglianum* nec catholicam, nec apostolicam atque hinc veram Christi Ecclesiam non esse. An ignoraverat *Grynaeus* eum ad Sacra Catholica reversum fuisse? An scire se dissimulavit? *Quadragenarium* se *factum* ait *Pistorius*, et Responsum nostrum dedit a. 1588. non igitur natus a. 1544. ut habet *Jöcherus*, qui illum ridicule *Praelatum domesticum Abbatis Fuldensis* facit. *Pontificis Rom.* dicere debebat. An latine typis extet insignis haec Epistola, nescio. Germanice versa mihi objacet *Ingolst. apud Dav. Sartorium* 1589. 4. Ceterum argumento est, non omnes illius aevi Polemicos *stipitibus duris* egisse, *sudibusque praeustis*; ita humanitate et moderatione se commendat. *Foll.* 6.

VIII. *Responsum Alberti Ducis Prussiae Johanni a Lasco datum.* De isthoc Homine instabili, qui primum tamen a *Zwinglio* sua hauserat, dixi plura *Vol.* I. P. 2. *coll.* 1898. et 2269. Inter alias Provincias, in quibus Coetui suo sedes quaerebat, fuit etiam *Prussia* Doctorum suorum dissidiis illo tempore mire vexata, ut habes in *Cph. Hartknochii Alt und Neu Preussen* P. II. c. 5. ubi tamen de *Johannis de Lasco* conatibus nihil. Venit ille, ut Duci sua de promovenda Religione consilia, stabiliendaque communi animorum conjunctione et caritate aperiret, simul Ducis sententiam de his, et de Adversariorum depellendis calumniis exquireret, peteret praeterea subsidium pecuniarium pro

Schola